



1. Budder's Joh. Franc. Epistola in nocentiam quorundam Ministrorum Ecclesie in Silesia vindicandam spectans. 1723.
2. Bücher's Christ: frö: theses orthodoxe 1702.
3. Chladeny's Mart: diff: sistens deumaxiam ex consilio Gamahelis cavendam, Wittenb. 1715.

DE EO, QVOD IVSTVM EST CIRCA
DETERMINANDA PROBLEMATA
THEOLOGICA

AD

VENERABILEM THEOLOGVM,

IO. GOTTLÖB Pfeiffer,

THEOLOGI LICENTIATI

IVRA CAPESENTEM,

EPISTOLA

ROMANI Zeller,

THEOLOGIAE BACCALAVREI.

STANNO ZVNKELIANO.

DE FO. QVOD IVSTVM EST CIRCA
DETERMINANDA PROBLEMAT
THEOLOGICA

AD

NEUERBILLEN THEOLOGVM

IO. GOTTL. OBERLIN

THEOLOGICALI LICENTIATI

IVRA CAPSSENTIM


EPISTOLA

ROMANI

THEOLOGICAE FACULTATIS

STANNO SVBSELIANO





Diu quidem non sine summa animi mei cura ac sollicitudine meditatus sum, VIR MAXIME REVERENDE, quo pacto fieri possit, ut aere alieno me exsolverem, quum incredibile dictu sit, quantum TIBI abs me debeatur. TE Praeceptorem, TE Parentem veneror, quandoquidem Scriptura Prophetarum discipulos, ipsorum *filios* 2. Reg. II. 3. 5. 15. appellat, haut obscure, quod prorsus opinor, significans, tantam Doctoribus in studiosa iuventute, rite fingenda, adhibendam esse industriam, quanta Parentum in educanda sobole exposcitur; e contrario discipulos debere eam Doctoribus, quæ filium decet, observantiam. Itaque etiamsi non invenio tantum re ipsa pretium, quod TVIS in me meritis aliquantisper, nedum exasse, respondeat: hanc tamen epistolam in praesenti, dum LICENTIA assumendi propediem gradus in Theologia supremi TIBI, optime merenti, tribuitur, admodum exoptatam occasionem nactus hoc consilio exaravi, ut tenerimi, quo adversus TE incensus sum, amoris, quoque ardentiore Pater a filio nunquam expectet, publicum haberes testimonium. Materiam dicendorum sumsi, quam & TIBI omnium forte iucundissimam, & hisce temporibus omnium maxime accommodatam duxi, utpote in arduo unionis inter PROTESTANTES conciliandæ negotio fundamenti loco, prouti par est, poni solitam: materiam dico, ubi alios in *defectu*, multos in *excessu* peccare deprehendimus.

Scilicet in rectissimo orthodoxias tramite duo sunt Theologis cavendi scopuli. Vnus est SCEPTICISMVS, ad quem facillimam omnino viam parat CARTESIANORVM Theologia cum errore suo, in hermenevticis ægre tolerando: *Scriptura saepe loquitur ex vulgi opinione erronea*. Oritur nempe hæc cum ceteris assertionibus Cartesianis, ex primo ipsorum principio, iustus ultra limites extenso: *de omnibus dubitandum*: Ecquid mirum? si, quemadmodum flumina, ex oceano profluentia, originem suam repetunt,

ita etiam modo nominatus error exegeticus in scepticifinum, unde propul-
 lulavit, corroborandum recurrat. Certe, si tale quid improvide aseras, sit
 profecto, ut cuiuslibet, quodvis pro lubito in Theologia somniant, rima pa-
 teat, angvilla instar elabendi, si forte argumentum ad adversus ipsum pondera-
 tam gravia sint, ut, quibus modis Scripturam in abusus suos detorquere pos-
 sit, non reperiat. Ita certitudo Scripturae admodum labefactatur, nec reli-
 gioni quisquam sibi ducet, Sanctissima effata, ceretum veluti nasum flectere.
 Ita DEVM, ita Daemones, ita nescio demum quid, in Scripturis sole magis ma-
 nifestum, tuto inficiaberis, dummodo in causa tuae patrocinium hoc unum
 vocare queas: Scriptura loquitur ex opinione rudioris plebeculae praekon-
 cepta. Hinc BEKKERIANI, contra angelorum existentiam disputantes,
 illo invento passim unice & callidissime uti didicerunt. (1) Ceteroquin ab
 omnibus, qui rationi corruptae nimium in interpretandis sanctioribus literis
 ius ac facultatem tribuunt, omnes scepticifino fenestrae aperiuntur. Nam-
 que, ubi dominium exercet ratio, ibi profecto nihil admittitur eorum, quae
 ultra rationis sphaeram colloata sunt, quaeque rationi, quatenus depravata
 est, contrariantur. Hinc, tametsi REFORMATI subtiliores, immo nostra
 aetate omnes, calumniis insimulant eos, a quibus ipsi rei aguntur nimii ra-
 tionis in foro mere theologico aestimii, quae de causa valde conquestus cele-
 berr. SAMVEL STRIMESIVS (2) conferri meretur; licet etiam NICO-
 LAVS ARNOLDVS, Theologiae Doctor quondam Batavus, in sua de Theo-
 logia supra Philosophiam domino dissertatiuncula, Franckerae MDC LXVII in
 12mo edita, contra pessimum nefandi scripti: *Philosophia Scripturae inter-
 pres*, auctorem peregre scripserit; quamvis denique nemo facile ipsorum
 in theoria rationi plus iusto adscribere hoc tempore audeat: nihilo tamen
 fecius in praxi culpam isthanc incurrere viri illi doctissimi plerisque Nostra-
 rium videntur, maxime in controversiis de idiomaticum communionem, ac de
 reali corporis Christi in Sacramento coenae praesentia. Hoc autem certum
 est, quod a theologicis scepticifini nota liberare se nequaquam possint SOCI-
 NIANI, utpote claris omnino verbis rationi dignitatem normam in rebus fidei
 deferentes; quandoquidem pleraque, a PETRO BAILIO, hac mente, ut al-
 tissimos pyrrhonismus in mentibus humanis radices ageret congesta, Soci-
 nianifinum sapiunt. His proximi existunt ARMINIANI, & quidem ea ipso-
 rum portio, quae post Synodum Dordraci congregatam, duce ac signifero
 EPISCOPIO, doctrinas sparsit pestilentissimas, ideoque EPISCOPIANA vel
 SOCINIZANS rectius, quam ARMINIANA audit. Hi itaque suum in theolo-
 gia scepticifinum nimis manifeste produnt, quando numerum articulorum
 fidei nimium coarctant, eoque ipso in gravioribus momentis libertatem senti-
 endi unicuique facile largiuntur, illam egregio nomine *libertatis christiane*
 turpiter palliantes. Pari modo hunc in censum veniunt LATITVDINA-
 RII,

(1) Vid. BEK-
 KERVS in det:
 bezauberten
 Welt, L. II. c.
 28. pag. 188.

(2) annotat.
 ac stricurr. in
 Spanhemii
 contrav. Ar-
 min. annotat.
 2. ad contr. 2.
 §. 1. seqq.

III. speciatim sic dicti, qui variis omnino dogmatibus evincunt, competere
 ipsis RATIONALISTARVM nomen, quo impertivit ipsos C. S. MAT-
 THIAS (3) ubi tamen alteram quoque partem audiendam, consulendum-
 que hac de causa Auctorem *Latitudinarii orthodoxi*, in IVRIEVVM propter
 varias consequentias, Latitudinariis imputatas, graviter animadvertentem,
 existimamus. (4) Quid dicam de FANATICIS, in specie Mennonitis,
 quorum hi ipsum de Christi divinitate articulum ex fundamentalium mul-
 titudine eximunt, illi vero generatim omnes, somnia ac lumen nescio quod
 internum expectando, Scripturam insuper habent: at, reiecto fidei princi-
 pio, illoque solo ac unico, quid enascitur? nempe scepticismus. Vnde
 SCHWENCKFELDIO iniuriam non fecit IOANNES MICRAELIVS (5)
 ubi *unum ex Scepticis* ipsum nuncupavit. Sive enim directe Scripturam
 impugnes, fanatico furore actus, sive indirecte ipsius auctoritatem stoccipen-
 das, nimirum nempe audaciam ad eius interpretationem afferendo, utrinque
 Scepticismo patrocinaris. Quo negligentior in determinandis fidei articulis,
 inque secernendis problematicis a fundamentalibus aliquis existit, eo propior sce-
 pticismo est; quo propior scepticismo, eo pronior ad omnium, quotquot nu-
 merantur, religionum tolerantiam. Nam, quid est, Scepticum agere?
 Nempe: negare cum summa oppositi formidine: Ideoque Scepticum ne-
 minem, a se vel maxime dissentientem, damnare audet; namque ad reje-
 ctionem alterius, a nostra opinione alieni, fundaminis loco requiritur certi-
 tudo de nostrae thesios absoluta veritate, illamque profuturi necessitate,
 quam certitudinem longe a Scepticismo remotam esse, prouti indicavimus,
 ex terminis patet. Vnde Scepticismum cum indifferentismo theologi-
 co eundem esse, rectissime observavit FECHTIVS. (6) At enim vero quan-
 to magis periculosa in foro theologico pestis est Scepticismus, tanto mi-
 nus quae toleretur ex adverso digna est SUPERSTITIO, eademque illo hoc
 tere periculosior, quo certius, illum propter crassitiam suam statim sub ocu-
 los cadere, odiumque apud quoslibet incurrere, hanc vero tardiori paullu-
 sper gradu atque inopinato saepe praestantissimorum summique in priori
 doctrina nominis Virum animos invadere, ac, veluti subtilius quoddam vir-
 us, maximo non sine detrimento in pectora penetrare. Est autem su-
 perstitutionis theologiae reus, qui articulos fidei non fundamentales, seu, quod
 perinde est, PROBLEMATATA THEOLOGICA, pro fundamentalibus doctri-
 nis venditat. Videamus, si placet, I. ORTVM tristissimam, de qua sermo est,
 superstitionis theologiae. Oritur ea VEL ex mala intellectus dispositione, si
 nimirum intellectus turpissimo auctoritatis praedudicio tanquam mancipi-
 um sit subiectus, quod praedudicium sicuti semper, ita hic etiam, ignorantia
 nititur. Etenim qui rerum ipse gnarus est, idoneaque scientia instructus,
 is ad volvenda aliorum scripta, vel audienda aliorum oracula, omnia explo-

(3) in th. hi-
stor. contin.
p. 39.

(4) vid. Acta
Eiud. ann.
1697. p. m.
597.

(5) Syn. hist.
L. III. P. 513

(6) hist. & ex.
theol. indiffer.
c. II. §. 4.

(7) 1. Thess.
V. 21.
(8) 1. ep. IV.
1. 2.

(9) in orat. de
vero & falso
Theol. Zelo,
Tub. 1720.
impr.

(10) 1. Cor.
XII. 16.

randi ac τὸ κελὸν retinendi animo fertur (id quod omnino notitiam iam praequirat) ex monito PAVLI (7) cui peraffine est IOANNIS illud (8) *δοκιμάστε τὰ πνεύματα*. At, qui praedictio auctoritatis animum suum regi p titur, is non nisi a Maioribus edoctus sapit, qui quum omnia omnes edocere, vel certe omnibus vocabulis, ad exprimenda dogmata egregie aptis, uti, propter temporis angustiam laborumque prolixitatem non possint; fit deinceps, ut iuvenes ex ipsorum scholis prodeuntes, nihilque amplius agentes, quam ut iurent in Magistrorum verba, propriis meditationibus omissis, si quando ad aures ipsorum perferantur theses, in se rectissima, omniumque iudicio approbanda, sed tamen ipsis antehac inaudita, atque ex ore Professorum non totidem verbis hausta, confestim illas pro novis haeresibus, in fundamentum fidei valde iniuriis, agnoscant. Egregie celeberr. Basileensium Doctor, SAMVEL WERENFELSIVS (9) tales idiotas cum iis comparat, *qui ex Patria, aut civitatis suae pomeriis nunquam egressi sunt, quibusque ideo accidit, ut, quaecumque a moribus suae Patriae aliqua ex parte abluunt, absorta & praeposteria, imo saepe insana & ridicula ipsis videantur*. Atque hoc ipsum auctoritatis praedictio communiter (svavissimam comitem secum habet nimiam in alios diffidentiam. Nimirum si quem rudis eiusmodi homo audivit hominem quoad dogmata, quae spargit, pestilentem esse, atque in haeticorum subfelliis locum non infimum promereri, tunc omnia ipsius effata, cuiusmodi quicquam suis a Doctoribus nunquam clare percepit, neququam expensa primum re ipsa, caeco statim impetu condemnat. Nempe, qui suis Praeceptoribus nimium confidit, is profecto aliis nimium diffidit; utrumque ex ignorantia. Interea, tamen si bonum forsitan superstitiosus ille intendat finem (scilicet, ut Zelo suo pro incolumitate *δεσποδικίας* vigilet;) tamen, quum zelus ille sit admodum intempestivus, optime in talem idiotam cadunt verba, quae IOANNES HVSS, rogo impositus, hominem quendam rure venientem, ac ligna paucula ad augendas flammam, tanto haeretico paratas, afferentem alloquutus esse dicitur: *o! sancta simplicitas*. VEL originem trahit superstitio theologica ex pravis in voluntate affectibus, potissimum ex *φιλονεικίᾳ* contentionisque studio, ab APOSTOLO tantopere interdicto (10) utpote quod marem agnoscit superbiam. Ea nimirum est, proh! dolor, multorum in doles, ut polemicis tractandis per omnem vitam profus ac solummodo intenti sint, haec pro nucleo, cetera pro cortice repurantes. Theologo sane de praxi polemica, non cogitandum est prius, quam a necessitate ad pugnandum pro veritatibus quasi vi compellatur, ubi nimirum sentiat, haec vel illa dogmata iam in pestem, ecclesiae perniciosissimam, abire, ac deficere viros de tuenda contra adversariorum strophas veritate sollicitos; tunc enim Theologus in conscientia obligatus est ad bella Domini, eaque non offensiva sed defensiva, mascule gerendi. Noster autem superstitio-

stitiosus, ordine plane inverſo, quarit & conquirir omni ſtudio aliquid, in
 quo refutando ſitum ſuam reſtingvat; non expectat occaſionem, ſed ipſe
 venatur eam, opinatus, polemica eſſe τὸ ἔργον Theologi (quum tamen ſint
 τὸ πάρεργον, utpote non propter Theologiam, ſed propter pseudo-theologi-
 am neceſſaria:) Ibiſque ſi deſiciant errores vere fundamentales, noviter ali-
 cubi conficti, (etenim in refutandis hæreſibus iam in vulgus notis, atque ali-
 unde ſæpius iamiam refutatis, deſudare num glorioſum foret?) eos tunc
 aggreditur, qui cum fide ſororio quodam vinculo non cohærent, illoſque
 tanquam maxime periculoſos exagitat, tantum hac mente, ut videatur &
 novam hæreſin detexiſſe, & ſe defenſorem orthodoxias maxime ſtrenuū
 geſſiſſe. Ortum excipiat II. INEFFABILE DETRIMENTVM, quod ſu-
 perſitionem theologiam manet. PRIMO directe offenditur ſummum
 Numen, quandoquidem Deo auferuntur τὰ τῶ Θεῷ contra Matth. XXII. 27.
 Neminiſt eſt, determinare fidei articuloſ, ſi a DEO diſceſſeris, nimirum
 αὐτοκρατοριῶς: hinc tamenſi L.I.O. SIMONIVS, Scriptōr ceteris quodammodo
 moderatior, (11) B. SPENERO inſigni vertit vitio, quando hic in libello
 ſuo: **Freiheit der Kinder Gottes von Anſehen der Menſchen**, S. 4. p. 3.
 ita ſcripſerat: **Daß die Chriſten in Glaubens-Sachen allein unter Gott
 ſeyn, und derſelbe allein Macht habe ihnen vorzuſchreiben, was ſie zu
 glauben haben:** nihilo tamen ſecius iniquior hoc loco cenſor exiſtiſſe mihi
 videtur SIMONIVS, ubi non attendit adiectam a SPENERO particulam,
eigentlich, nempe: **Daß die Chriſten in Glaubens-Sachen eigentlich
 allein unter GOTT ic.** quocirca etiam iſti dubio probe ſatiſfactum eſt
 ab anonymo, qui ſe vocat **Liebhaber der Wahrheit in: Rettung der
 Wahrheit und Unſchuld ic.** contra illud SIMONII ſcriptum. (12) Certe
 enim facultatem, articuloſ fidei *ministerialiter* (h. e. improprie, utpote non
 propria ſua auctoritate ac facultate) determinandi, nemo, niſi Symbolis
 certisqve ab eccleſia confeſtis ex verbo DEI loquendi formulis te-
 mere inimicus, adeoque indifferentiſſimi patronus, eccleſiæ denegabit.)
 Vbi itaque *ſilente revelatione divina*, adeoque *proprio* auſu atque auctoritate,
 articuloſ erroſesqve fundamentales determinantur, nonne iura, Deo propria,
 nobis, quos εἰδέν ἄτερ γραφῆς in rebus fidei ſtatueret aliisqve obrudere oportebat,
 temerario conatu vindicamus? Eſt hoc etiam ex cultu electio, qui
 conſiſtit in docendo quæ non DEI ſed hominum ſunt, ἐν ἀλλοματια contra Matth.
 XV. 9. PORRO directe violantur officia, quæ proximo debebamus. Hic enim
 negligitur *σπερδὲ τηρεῖν τὴν ἐνότητά τῶ πνεύματι* ἐν ſυνδέσμῳ τῆς ἐπίτης, quæ
 unionem in doctrinis non fundamentalibus præſertim reſpicit ſic, ut in
 alterius ſententiam pedibus diſcedendum ſit prius, quam rixis nullius
 frugis, adeoque theologica gravitate indignis; indulgendum, Eph. IV. 3.

(11) in Da-
 vid. Aug-
 ſpruch: Grof-
 ſe Leute ſelb-
 ſten auch ic.
 pag. 4

(12) c. l. s. 2
 pag. 2.

(*) At,

(13) in dial.
de fundament.
diff. Luth. &
Calv. §. 487.
p. m. 326.

(*) At, quomodo, quæso, huic dictamini respondet tam vana de problemate quodam theologico, ac si salus æterna ageretur, disputatio, tam acris, tam odiosa, ut per eam neque *sancti perficiantur*, neque *corpus Christi adificetur*, (vers. 12.) sed fissura vix mille lacrymis satis deploranda, misere distrumpatur (quippe hæc est natura schismatis, heresi contradistincti. *In eo* (inquit B. NICOLAUS HVNNIVS (13) *differt hereticus a schismatico, quod hic errat in iis, quæ fundamentum circumstant.* Exultaverim ego, vi vocis, schismatis, illum schismatici nomen promereri, qui propter dogmata non fundamentalia turbas in ecclesia mover, eaque tanquam momentosa aliis obtrudere, conatur, sive fuerit errans, sive errantem refutans.) Ita porro conscientis iniiciuntur laquei, humerisque piorum hominum nescio quæ imponuntur onera (cui malo, utpote ad problematica spectanti, citatus iudicii SPENNERIANI factus: *Freiheit der Kinder Gottes von Unsehen der Menschen in Glaubens-Sachen*, unice est oppositus.) Ita demum fit, ut innoxii Viri ob dissensum, qui tamen fundamentalis reapse non est, condemnentur. At, quantum, heu! facinus, heterodoxias insinulare eos, qui ob assiduum pro servanda saniori doctrina vigilantiam, cum vera fide ac pietate minus fucata mixtam, DEO in sinu recubant! Heu quantum! motus acerbos de quæstionibus problematicis in ecclesia excitare, summoque aliorum animos scandalo violare! Cogitandum hic ac ruminandum erat SALVATORIS illud: *μη σφίστες, ἵνα μη κλησθε, Matth. VIII. DENIQUE*, ut taceam, tales in tempestivo Zelo ac pene dixeram furore actos *ἀπερὸν τῶν ἁγίων*, turpiter oblivisci illam rectæ rationis sententiam, quæ entia præter necessitatem multiplicari verat; addo hoc saltem, quod eiusmodi superstitiosi Theologi in semet ipsos graviter sunt iniurii, tum, quod exacerbando aliorum animos suæ ipsorum mentis tranquillitati obicem ponunt, tum, quod breve temporis spatium, Theologis viatoribus relictum, inuilibus controversiis dirimendis, anxie impendunt, quæ horarum paucitas quum auro argentoque; redimenda, ac solidiori in doctrinalibus gravioribus non minus ac in praxi scientiæ atque eruditioni tota dedicanda fuisset, tamen ipsam tam frustra, tam impie vanis altercationibus perdidisse, suo ipsos tempore poenitebit. Age, jam demus operam, ut huic malo III. AFFERAT VR MEDELA. Scilicet, quemadmodum in articulis fundamentalibus iusto parerioribus nobis esse non licet (id quod, ut supra monuimus, vel Scepticismus ipse, vel recta ad Scepticismum via existeret) ita in iisdem

(*) Huc plane refertur potest aurei dicti, Col. III. 14. interpretamentum, quod habetur in APOLOGIA A. C. p. 104. ed. Lips. in 8vo, ubi, alia inter, hæc invenio: *Ita iubet PAVLVS in ecclesia dilectionem exillere, quæ RETINEAT CONCORDIAM, quæ toleret, scilicet opus est, asperiores mores fratrum, quæ DISSIMULET QUÆDAM LEVIA ERRATA, ne dissidet ecclesia in SCHISMATE & exschismatis oriatur odia, &c.*

dem definiendis par & æquum est, ne iusto magis liberales simus, idque evitanda gratia superstitionis. Equidem præstantissimum est τὸ ἐπέχειν, ut eiusmodi inutilibus rixis nos nequaquam immisceamus: at enimvero, sicubi nostrum de hac vel illa lite problematica desideretur iudicium, tunc omnino profitendum est, novam hanc vel illam opinionem esse sic comparatam, ut in utramque partem ventilari queat: atque eiusmodi mentis nostræ professio idcirco potissimum videtur necessaria, ne nostro silentio reticemus id, quod ad avocandos a superstitione theologica alios haud parum conferre possit. Vt autem perspicue sciatur, quænam sint problemata theologica, ante omnia ex communi παιδείᾳ τριῶν tribus, quod aiunt, verbis huc transcribendum est, esse tales propositiones, quæ non tutius affirmantur, quam pernegantur, sed in utramque partem, prout aliquis de affirmativa aut negativa in conscientia fuerit convictus, absque ullo fidei detrimento ventilari possunt. (Scilicet in omni disciplina id problema dicitur, cuius neque affirmatio neque negatio genuinam disciplinæ pertractationem impediatur.) Ex qua affirmandi negandive libertate, unicuique relinquenda, apparet, istas in Theologia quæstiones exigui momenti esse; quocirca errores, in illis commissos, *stipulis*, elegantius metaphora, assimilavit APOSTOLVS. (14) Quamlibet enim non dissimulandum, hic etiam in diversa abire interpretes, aliis errores fundamentales, aliis problematicos intelligentibus: libet tamen interponere hoc loco nostram interpretationem, quam contextui, maxime τῷ συνειφεύειν vocis, καλῶς, cum antecedentibus vocalis tum oppositis tum subordinatis, oppido convenientem existimamus. Θεμελίος ubique Christus est; ad hunc quippe provocant omnes, fundamentaliter etiam errantes, Christiani: Huic igitur, tanquam fundamento fidei reali, omnes superstrui videmus hypotheses; χυρσὸν i. e. genuinam in articulis fundamentalibus primariis sententiam: oppositum est, ξυρσὸν errores nempe in fundamentalibus primariis, quales sunt v. g. ROMANENSIVM, in articulo de iustificatione, operibus, non soli fidei adscribenda; item SOCIANISTARVM sententia quidem APOLOGIÆ A. C. (15) Christianorum nomine indignorum, id tamen sibi perpetuo vindicantium (**): ἀργυροί, i. e. genuinam in fundamentalibus secundariis sententiam; cuius oppositum est τὸ ἁόσθον, seu error in talibus articulis, quo spectant omnes sectæ, ab ecclesia

(14) 1. Cor. III, 12.

(15) statim al initio, p. 50.

B
Luthe-

(**) Equidem B. SEB. SCHMIDIVS in *Disp. de artic. fid. christ. fundam. & non-fund. ad 1. Cor. III, 10. seqq.* s. 25. ligna fœnunquæ de fundamentalibus erroribus accipi posse negat triplici argumento; 1) quia hæreses fundamento non superædificantur, sed fundamentum destrunt: 2) quia non quadrat cum seqq. hæretici enim, quæ hæretica dogmata proponunt, non falsantur per ignem, sed ad ignem æternum damnantur & in igne pereunt. Hæc ille. Sed facilis est ad utrumque responso. Ad 1): Intentio tamen hæreticorum eo directæ est, ut errores suos superstruant fundamento, licet spe sua detententur. Ad 2): Verum est hæreticos damnari, sed non omnes, quandoquidem multi igne tentationum (de igne infernali in textu nihil extat) explorati ad frugem redeunt, ut ex hæreticis Theologi puriores evadant.



Lutherana aliena: denique *κατασκευαστες*, i. e. genuinam in problematicis, sive non fundamentalibus sententiam, quandoquidem ubivis, omni in causa cognita, summo semper in pretio habenda est veritas, etiamsi non fundamentalis; opponitur *κατασκευαστες* seu error in huiusmodi thesibus, quum errare, quocumque etiam modo, quacumque in disciplina, vel quacumque in causa, non bonum atque utile, sed humanum humanaeque post lapsum miseria reserata sit: Siquidem in theologia omne problema etiam Christo superstrui, hoc est, ad honorem cognitionemque Christi dirigi oportet. Patet igitur, me iudice, metaphoram hanc sic evolendam esse, ut ultra tertium non extendatur, quippe quod in gravitate ac levitate rerum, unde petita est metaphora, consistit, hoc sensu: *ελαττω* gravissimum sunt tria inter recensita: ita gravissimi sunt errores, fundamentum fidei directe proximeque collineantes; *χερστων* paulo levius: sic gradu aliquo leviores sunt errores in fundamentalibus secundariis; *κατασκευαστες* demum levisima est harum trium materia: sic etiam errores problematici, omnium errorum sunt levisimi. Confutire mecum videtur APOLOGIA nostra (16): *Vi Paulus inquit, fundamentum, h. e. veram Christi cognitionem & fidem, etsi sunt in his etiam multi imbecilles, qui supra fundamentum aedificant stipulas perituras* (addidisset sane & cetera in extantia duo vocabula, ligna nempe, ac foenum, nisi graviore per ea indicari errores autumavisset) *hoc est quasdam inutiles opiniones* (seu, nullum ad fidem stabiliendam usum afferentes) *quae tamen quia non evertunt fundamentum, tum condonantur illis, tum etiam emendantur.* Iam de characteribus problematis theologici paulo accuratius solliciti sumus necesse est, quandoquidem de natura rei ex signis felicissime iudicamus. Ac, sicuti opposita iuxta se posita magis elucescunt, ita ex opposita articulorum fundamentalium conditione de ratione non fundamentalium clarissime constabit. Graviter hic hallucinantur PONTIFICII, illud hominibus ius conferendo, quod DEI solius erat, ac libere pronuntiando, articulos fidei ab ecclesiae (qua semper apostolicam suam significant) *determinatione effat* etque pendere. Sic de fide ea non esse scribit PETAVIVS (17) quae vel ab ecclesia romana tanquam credenda haecenus determinata hauriuntur, vel circa inutiles saltem & curiosas quaestiones versantur. Interim, quando hoc in argumento de ecclesia, nempe repraesentativa, loquuntur, notum est, intelligere ipsos vel *communem PATRIVM consensum*, vel *Concilia*, vel *auctoritatem PAPAE*, (de qua tamen mira inter GALLICANAM atque ITALICAM nationem superiori aetate, occasione litium Quesnellianarum, immo iam antea, subortis motibus Iansenisticis, observata fuerunt dissidia. Inprimis anno 1684. d. 10. Jul. ab INNOCENTIO, Papa eius nominis XI. damnatus est NATALIS ALEXANDER eo, quod in *historiae suae ecclesiae Tomis*, passim contra Papalem auctoritatem loquutus

(16) art. IV.
pag. 148.

(17) prol. in
heol. dogm.
VI.

quintus erat duriusculus, atque, alia inter, IOANNIS a MONTESONO asser-
 tum, quod nempe rerum fidei decisio ac determinatio a solo Papa expectanda sit,
 docte respuerat, nec minus in censura sua, in confesso Sorbonico Anno 1683.
 dicta, adversus receptam Curia Romanæ hypothesein: quod ad solam sedem
 Apostolicam spectet auctoritativum de fidei controversis iudicium, acerrime di-
 sputaverat, inserueratque hanc censoriam orationem *historiæ Sec. XIV.* ipsius
 studio in lucem editæ. Conf. TH. ITTIGH *præfat. historiæ ecclæs. Imi a Christo*
Nato. Sec. præfixa, S. 34. p. 44. IESUITÆ etiam de illa Papali auctoritate
 dictatoria mirifice luserunt in causa cultus Sinici, de qua re solus ille liber,
 qui inscribitur: *Caduceus Sinicus*, Colon. ad Rhen. 1713. impressus, instar
 omnium testimonium perhibet. Ceteroquin in talibus suæ ecclesiæ decre-
 tis semper causam interferunt, se per *traditiones* hoc vel illud ab APOSTO-
 LIS accepisse, quas pari pietatis affectu cum sacris literis excipiendas esse,
 in Synodo Tridentina, fulmen anathematis minati sanciverunt. De PA-
 TRVM consensu insignis quidemprehenditur apud PONTIFICIOS dis-
 sensus, aliis perpetuum Patrum consensum scripturis æquiparantibus, aliis
 nulli Patrum sese alligantibus, nonnullis, immo plerisque, per variam di-
 stinctionum sylvam via quasi media incedentibus; de quo sententiarum in ec-
 clesiâ romana divortio egregie disputat ANDREAS RIVETVS, Vir in hi-
 storia ecclesiastica admodum versatus. (18) Obiter hoc loco observare liceat
 ex PETAVIO (19) trium primorum a nato Salvatore seculorum Patres non
 tanti a PONTIFICIIS fieri, quanti reliquarum ætatum Doctores, in causa
 quadam conspirantes. Attamen, si doctrinam publicam, quam profiten-
 tur, & ex qua omnino iudicandi sunt, in subsidium vocamus, decrevit pro-
 fecto TRIDENTINA SYNODVS (20) nemini quicquam statuendum esse,
 AVT contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater ecclesia AVT ET-
 IAM contra unanimum consensum Patrum. Hinc VINCENTIO LIRINEN-
 SI in *Commonitorio suo* hic audit præcipuus fundamentalis articuli caracter:
si semper, abique, & ab omnibus fuerit creditus. Equidem apud NOSTRA-
 TES in confesso est, Symphoniam eiusmodi universalem plurimum esse va-
 lituram, si haberi possit: at enim vero tanta vi instructam fore, ut ad assenti-
 endum obligare queat, ac pro auctoritativa decisione agnoscendam, constan-
 ter inficiamur (nam omnes in universum Scripturæ interpretes, vel in Con-
 cilio maxime ecclesiâ representativam totam errare in fidei fundamento
 non pateretur DEUS, sicuti totam ecclesiâ errare posse pernegamus: nihi-
 lo tamen minus ipsorum testimonium non est infallibile per se, nisi quate-
 nus Scripturæ, fallere ac falli nesciæ, respondet; quapropter non ad homi-
 nis cuiusquam auctoritatem, sed ad solam Scripturam in rebus fidei audien-
 dam missumus atque obligati, adeo, ut ne PAVLO quidem (at, quam in-
 fallibi,

(18) in tr. de
 auctor. Patr.
 quem præmisit
 libris IV. Cri-
 tic. s. c. 3. & 4.
 (19) de in-
 catn. lib. XIV.
 (20) Sess. IV.
 decr. 3.

fallibi, quum ex inspiratione divina scriberet, viro!) *dues yeadis* verba facienti, obtemperandum sit, Gal, I, 8.) Deinceps traheri posse eiusmodi consensum unanimum, intrepide negamus. *Initio* enim tantam agnoscimus humanæ naturæ corruptionem, ut, sicuti in moribus ac pietate, ita in opinionibus atque *epistodolox* nunquam omnes convenire queant, sed quot capita, tot sententiæ inveniantur, quum unusquisque prudentior sagaciorque altero videri cupiat. Porro non omnes ecclesiæ veteris Doctores publici nobis innotuere, nec omnes nominis sui famam scriptis posteritati reliquere, nec omnium, qui scripsere, monumenta ad nos vel omnino, vel ex parte, vel demum bona fide sunt per lata. Denique hac ratione nullum in doctrina Christiana, præter solum de existentia DEO & CHRISTI, articulum nominabis, in quo non modis variis varii vel Patres vel alii in ecclesiâ veteri spectatæ auctoritatis viri, aliquando offenderint (**). Immo, si unicum adhuc addere liceat, maiorem passim conspicimus errantium, quam recte docentium multitudinem, v. g. in causa Chiliafmi crassioris (qui tamen ab ipsis PONTIFICIIS proscribitur) omnes primorum seculorum Patres securius sunt loquuti; in articulo de libero arbitrio, & connexis, mox excedendo mox deficiendo peccatum fuit, sic, ut paucissimi Patrum puriorum, si quidem de mente ipsorum ex dictione iudicemus, in medium afferendi veniant. Quare etiam CALIXTINOS aliosque HELMSTADIENSES cum suo consensu quinque seculari repudiamus. GRÆCORUM ille mos est, ut *Conciliorum decreta ac determinationes*, ubi de articulis fidei fundamentalibus, ac problematicis quæstio agitur, tanquam oracula summa mentis religione suspiciant, in eo cum tota Romanensi ecclesiâ conspirantes (quod etiam in consilio suo irenico, Russorum Imperatori, Galliam ante aliquot annos visenti, exhibito, non postremo loco urfit SORBONA PARIENSIS, vid. Magnif. BVDDEI *Erörterung der Frage, ob zwischen der Römisch-Catholisch- und Russisch Kirche eine Vereinigung zu hoffen sey*, in quo elegantissimi libello celeberrimus AVCTOR illud scriptum Sorbonificum sub examen vocat brevissime iuxta ac eruditissime.) De FANATICIS supra memoravimus, ipsos, susque deque habita Scriptura, *immediatas* præstolari *revelationes*, quæ Spiritus ipsos citra ipsorum studium industriamque edoceat, quæ creditu sint necessaria. Reiectis itaque pseudo-characteribus

præ-

(**) Quod agnoscens PHIL. à LIMBORCH controversum VINCENTII canonem ambabus (quod ajunt) manibus est amplexus, in Theol. Christ. Lib. VII. c. 21. §. 10. Inde enim, secundum placita suæ sectæ, felicissime derivare conatur conclusionem: er. o paucissimi sunt fundamentales articuli, quoniam in paucissimis obsecuratur talis consensus universalis.

præcipuis maximeque omnium periculosis, LV THERANI profecto, quædam tales, omnia hic etiam *soli Deo eiusque revelationi, literis sacris consignata*, tribuenda putant. Sicuti enim credenda pariter, atque agenda vergere oportet in gloriam *Dei solius*: ita *solius* quoque *Dei* est, hunc ipsum colendi modum unicuique, a quo cultum exposcit, præscribere ac determinare, ne cultu electio, ab hominibus excogitato, ideoque frustraneo, afficiatur. Hinc concludere non difficulter possumus, dogmata fundamentalia non posse non in Scriptura partim crebro, partim, alicubi saltem, in sede nimirum propria, claris ac perspicuis, hoc est, ab omni tropo alienis vocibus proposita esse. Fundamentalia enim a stupidissimi etiam ingenii iudicique hominibus intelligi, vel certe non negari (****) debent: hinc ad captum vulgi attemperata oportet esse verba, quibus eiusmodi doctrinæ exponuntur, adeoque crebra ac sapius repetita, ut infirmiori plebis memoria succurratur, perspicua vero, ut medeatur hebetiori plebis intellectui, qui spissis ignorantie naturalis tenebris adeo obnubilatus est, ut capere non possit ea, quæ sunt spiritus Dei; immo ut reddantur *ἀνεπαροξήστοι* audaciter illi hæretici, qui, regnante in ipsorum animis ignorantia rerum divinarum morosa atque affectata, clarissimas Scripturæ de negotio salutis voces suis *ψευδοπροphetiis* obscurare protervo molimine aggrediuntur. Equidem in verso ordine admodum sinistre aliquando in colloquio Ratisbonensi argumentabatur TANNERVS: Quicquid clarè in Scriptura revelatum est, illud est fidei articulus fundamentalis (ubi tamen id obiter observare mihi liceat: si de *fidei salvificæ* articulis non fuisset sermo, sermonem Tannermanum absurditatis auculandum minime fuisse, quandoquidem *fides generalis* atque, ac salvificæ, certis constat articulis, adeo, ut omnis propositio biblica, sive historia, sive geographica, sive genealogica, sive mathematica, ac sic porro, in hunc censum veniat, nam in dubium vocata unica eiusmodi circumstantia biblica, omnino factum foret de fide generali, sacris Pandectis generatim debita.] Nihilo tamen secius ita concludere tuto licet: Quicquid non

B 3

mani-

(****) *no* non negari pertinet ad articulos fundamentales secundarios, urpote hoc ipso a primariis distinctos, quod non scitu sed, si sciatur, creditu sunt necessarii. Intelligenda eigo est hoc loco (quod communitèr admonetur in systematibus) negatio, ex malitia voluntatis, intellectui assensum denegantis, oriunda, nequaquam vero negatio, ex mera cordis simplicitate, quæ in intellectu consistit, profecta, urpote quæ simplici ignorantie æquipollens, quæque in fundamento quidem, aut non fundamentaliter errati vulgo dicitur, tamen si proprie error dici mereatur, qui mæxã adscribenda venit ignorantia. Ita erraverunt, in a quidem opinione APOSTOLI, quando expressis ipsi verbis negabant, fore, ut Christus *ab hominibus* miseris modis torqueatur atque interficiatur. Nam, Christum esse verum Messiam, crediderint ipsi necesse est, tanquam articulum in primariis primum ab eo tempore, quo munere suo prophetico ac sacerdotali actu cepit fungi Salvator (& sane, ubi cum PETRO, Marth. XVI. 17. sibi persuasum habuere, hunc Christum esse filium DEI, non potuere non credere, ipsum profus haur alio sine incarnatum esse, quam ut actu existeret Messias ille in V. T. promissus; immo, dum Christum nominarunt, officium, ad quod unctus erat, maxime sacerdotali, obscurum seu incognitum plane ipsis esse non potuit; latent hæc omnia in I. Jo. IV. 2. 3.): tamen negare potuerunt, satisfactorium ipsum esse pro genere humano *per manus hominum*. Christum pro nobis *plenarie satisfecisse*, est artic. fund. primarius: *per manus hominũ satisfecisse*, saltem secundarius, quum etiam DEUS ipse immediate, prout in monte oliveti ex parte factum est, plenariam isthanc satisfactionem ab ipso sumere potuisset, & actu etiam sumisset, nisi visum fuisset ipsi,

set ipsi,

manifeste, quicquid non pluribus locis (siquidem repetitio ad perspicuitatem plurimum confert) in Scripturis legitur, illud non est fidei specialis, seu salvifica articulus fundamentalis. Libenter quidem & hoc largimur, illa, quæ in quavis controversia legitimam per consequentiam sacro ex Codice derivantur, genuinam de controversia materia semper *ἀποδεικνύουσιν*; probare opinionem (quod contra ANABAPTISTAS, ex PONTIFICIIS vero contra pessimos ARTIS NOVÆ fautores, VERONIANOS, observandum, facileque ex frequentissima Christi Apostolorumque praxi probandum:) tamen dissentienti viro nequaquam fundamentali, quamlibet humano, vicio est vertendum, sed quemadmodum APOLOGIA, loco memorato, consultit, *condonandum*, si quando ipse consequentiam, ex Scriptura a nobis solide deductam, perspicere non valeat, nec obtrudendum ipsi, ut illam consequentiam intelligere necessario discat, quum intelligere illam ipsi non sit necesse. Enimvero, quum, prouti dixi, non valeat consequentia: Quicquid in Scr. clare crebroque exponitur, illud est de fidei salvifica fundamento: operam demus, ut liquido atque indubitato appareat, quam ratione Scripturæ perspicuitas firmisimum argumentum præbeat, quod hæc vel illa propositio sit fundamentalis. Expedietur hoc negotium his aphorismis: I. Quæcunque propositio alicubi in Scripturis manifeste asseritur adiectis particulis, influxum propositiois in fidem fideique præmia clarantibus, quales sunt: *ἀντηξεν οὐδένος ἑσθ*, Jo. XVII. 3. III. 36. *σὺ θεός εἶ*, Marc. XVI, 16. *θεὸς πᾶσι σοὺς*, Ebr. XI, 6. ac forte consimiles; illa propositio, propter hanc manifeste asseritam credendi necessitatem meretur pro articulo maxime fundamentali, omnique salvando ad salutem scitu necessario, agnosci. II. Quo intumiori nexu cum colibus doctrinis doctrina aliqua cohereret, eo est fundamentalior. Id ipsum est, quod nostra APOLOGIA loco allegato divit, *evertere* fidem. Nimirum, quicquid ita comparatum est, ut tibi vel in fide consequenda, vel in eadem conservanda, impedimento sit, id ipsum est error fundamentalis. Itaque, quoniam vitæ sanctimonia, tanquam fidei fructus atque exercitium, citra iacturam atque amissionem fidei abesse non potest: patet omnino, errores, qui vitæ probitatem evertunt, evertere ipsam fidem. Quamquam enim fides per bona opera non conservatur: tamen per mala opera amittitur: Ergo, quibus hypothesibus admisis perit vitæ morumque probitas, iisdem aboleretur fides: & consequenter eiusmodi errores sunt omnino funda-

set ipsi, prævis ab aeterno Iudæorum de enecando Iesu deliberationes per absolutam potentiam non impedire, sed ad finem optimum, orbique salutarem, ipsas dirigere. Itaque fundamentaliter non errant *δὲ δόξα*, ubi incredibile & incomprehensibile ipsis videbatur, eum, qui Dei filius, eum, qui Deus ipse esset, tradi posse in manus hominum, atque ab hominibus tanta affici contumelia. Proficisceretur illud ex ignorantia, ac non intellecta Scriptura, vid. Luc. XXIV. 27. 45. Sic qui hodie plebeius fortecan negaret, Christum a Patre genitum, & tamen toto pectore crederet, esse verum Deum filium, qui negaret communicationem idiomatum, & nihilominus largiretur, divinam in Christo naturam humanæ *ἀδασάμης* adunitam esse, is profecto erroris fundamentalis, tamen in fundamento commissi, nescio quo iure insimularetur. Talia tunc die nos docet experientia, quoties cum plebe in exercitiis catecheticis nobis negotiorum intercedit; ubi ex insipidis huiusmodi responsionibus de fide salvifica tam simplicioris plebecule statim dubitandi ansam fumere, piaculo foret. Conf. illustria FIORVM CONFESSORVM hanc in rem verba, in præfamine A. C. pag. 14. edit. Lips. 9. ad condemnationes,

fundamentales. Hos existimo characteres esse certissimos, unde, quæ fundamenta-
 lia sint dogmata, felicissime dignosci possit. Hinc ad problemata, tanquam oppo-
 situm, concludere tuto licet: *Quæcunque thesibus NEC clare in Scripturis proposita, NEC*
adiectis voculis, credendi necessitatem, vel influxum in saluationem æternam determinantibus,
asserta, NEC demum in negotio fidei saluifica, usque ad finem vitæ continuande, homi-
ni uiatori obstaculum ponit, illa thesibus est problematica, ac non nisi a superstioso Theologo
fundamentalibus annumeranda. Ceterum, cur Deus credendorum seu articulorum
 fidei fundamentalium, integrum catalogum in codice S. nobis tradiderit, sicuti
 forte de agendis Ex. XX. eiusmodi index deprehenditur, ut statim, sine prolixiori-
 bus meditationibus conspici possit, num hoc vel illud dogma ex fundamentalium
 numero omissum, adeoque problematicum sit? rationes docte prolatae legimus in
 disputatione, superiori anno Altorffi, præside DN. GVST. GE. ZELTNERO,
 ventilata: *de questione theologica: cur articuli fidei fundamentalis non sint in Scriptura*
S. prescius definiti. Ecce! adeo neminem, præter DEVM, per Prophetas atque Apo-
 stolos loquentem, tanta auctoritate instructum esse existimamus, ut liceat ipsi, quæ
 necessario, quæve libere credenda sint, determinare. Speciosum hoc loco moveri
 solet dubium, a causâ indifferentiæ fautoribus, ex quibus unum nominare pla-
 cet GOTTFRIDVM ARNOLDVM (quem tamen multa emendasse sicuti fama
 accepimus (21) ita confidimus) vatiniano prorsus odio prosequentem symbola in
 ecclesiis recepta (22). Argumentum enim necere homines isti assolent: In eccle-
 sia Lutherana summa obtinet Librorum symbolicorum auctoritas: Ergo non soli
 DEO, sed Ecclesiæ simul potestas determinandi fidei dogmata tribuitur (quod so-
 ret papismus in Lutheranismus.) Cui splendida obiectioni obviam procedemus
 paucis. Supra iam indicavimus, ecclesiæ hanc potestatem non nisi delegatam
 nequaquam vero *αὐτοπροσηγορίας* competere. Non fidei, sed professionis normæ,
 sunt libri Symbolici, ad seruandam in ecclesia unionem, nequis libere consistea-
 tur, quicquid in buccam venerit, atque ita pios animos offendant: non ab hetero-
 doxia, sed saltem a libera heterodoxias professione arcant symbola, ne in vulgus
 spargat aliquis pro libitu mala dogmata, quæ, quatenus in ipsis cerebro extant
 ore proferuntur, ex pomario cætus orthodoxi longe proseribenda. *Sacras literas,*
 verba sunt CONFESSORVM in FORM. CONCORD. DECLAR (23) NB. SO-
 LAS, unicam & certissimam illam regulam esse credimus, ad quam omnia dogmata exigere,
 & secundum quam de omnibus tum doctrinis tum doctoribus iudicare oporteat. Et paucis
 post interiectis: *Symbola agnoscimus esse breues quidem, sed eandem maxime pias atque*
in verbo DEI solide fundatas, præclaras NB. CONFESIONES FIDEI. Paulo postea
 Hanc (August. nempe Confessionem) nostri temporis symbolum esse iudicamus, quo re-
 formate nostræ ecclesiæ ab Romanensibus aliisque reiectis & damnatis sceleribus & hæresibus SE-
 IUNGUNTUR. Et in ipsa CONCORDIÆ FORMVLA hæc verba legimus:
 (24): *Reliqua Scripta, quocumque veniant nomine, Sacris literis nequaquam sunt equipa-*
randa, sed universa illis ita subiicienda, ut alia ratione non recipiantur, nisi TESTVM
loci, qui doceant, quod etiam post Apostolorum temporum doctrina illa Prophetarum & Apo-
stolorum sincerior conservata sit. Et paulo post: *Iudicamus unanimum consensum & DE-*
 CLARATIONEM CHRISTIANÆ NOSTRÆ FIDEI ET CONFESIONIS esse nostri
 temporis

(21) cf. etiam
 Unschr. Nachr.
 anno 1704 8te
 Ordn. p. 483.
 (22) Kirchen
 und Regier-
 ungs. P. III. L. 16.

(23) p. 63a.

(24) p. 570.

temporis symbolum Augustanam Confessionem &c. Tandemq; Cetera autem symbola & alia
 scripta non obtinent auctoritatem iudicis, hæc enim dignitas SOLIS sacris literis debetur sed
 DVNTAXAT pro religione nostra. TESTIMONIUM dicunt & ostendunt, quomodo de singulis
 temporibus sacra litera in ecclesia Dei a Doctoribus intellecta & explicata fuerint, &c. Igitur
 si quaeratur: an hoc vel illud dogma sit Lutheranicum? probatio ex libris symbolicis,
 iisque foliis, est arcessenda. At, statu controversiæ sic formato: Vtrum hoc dogma sit
 orthodoxum, & utrum ecclesia Lutherana sit orthodoxa illa Apostolica? probatio
 decerpenda est ex Scripturis, iisdemq; foliis, non ex symbolis, ne fides nostra eccle-
 siæ, tanquam multitudinis humanæ, auctoritate nitatur. Quodsi igitur in præcipuo
 quodam dogmate dissensio ab ecclesia nostra, sequitur inde non, tuum dissensum,
 heterodoxum esse, nisi, quatenus manifestum est, symbola nostra verbo divino esse
 maxime congrua: sed, tibi, aliter sentienti, egrediendum esse ex cœtu Lutherano, at-
 que ad illum abeundum, cui adstipuleris. Quum itaque libri nostri Symbolici, oculi
 pupilla nobis cariores, non per se, sed propter suam cum verbo diuino convenientiam,
 assensum mereantur: patet profecto, non per se, *αυτομτως*, propriaque auctori-
 tate, ipsos posse quæ fundamentalia, quæ problematica sint in rebus fidei determi-
 nare. Liberum quoque unicuique relinquitur, in quæstionibus non fundamen-
 talibus a Symbolis nostris dissentire, v.g. num Iudas fuerit cœnæ dominicæ con-
 uiva & in consimilibus problematicis: saltem in doctrinis fundamentalibus unani-
 mis Lutheranicorum harmonia requiritur. Ideoque circulus foret vitiosus, ex li-
 bris symbolicis, determinare, hoc vel illud non esse problema, sed fundamentale
 dogma. Denique in nostris Symbolis, coniunctim consideratis, omnia quidem
 extant fundamentalia dogmata: tamen id extra controversiam est, non omnia
 satis PERSPICUE ibi declarata esse. Olim iamjam ex PONTIFICIIS iurati pup-
 illæ evangelicæ hostes acerrime urserunt, in Aug. Conf. nihil assertum esse v. g. de
 transubstantiatione, nihil de immaculata B. Virginis conceptione, nihil de domi-
 natu Papæ ecclesiastico, nihil de unica fidei morumque regula, &c. sed satis ipsis fa-
 ctum est in der Vertheidigung des evangel. Augapffels, p. 125. seqq. maxime in
 der Haupt-Vertheidigung, cap. 18. pag. 168. teqq. (& *κατ' ἐπιτροπην* contra
 ipsos disputari poterat, interrogando: ubinam de maximis controversiis complu-
 ribus, nos inter ipsosque agitatis, determinatum in ipsorum concilio Tridentino
 aliquid legatur, v.g. de absoluto Papæ dominio, deque aliis litibus, quibus ipsa ec-
 clesia Romana in hanc usque diem inde a tempore reformationis, nonnullisque
 antea seculis, in partes ac factiones dissoluta est?) Omnino conferendi sunt cum
 Augustana Confessione ceteri, quos amplectimur in Saxonia, libri Symbolici, & tunc
 expectamus inductionem unius articuli fundamentalis, cuius in istis symbolis nulla
 profus extant vestigia. Ita etiam, quando admiranda eruditionis Theologus Ge-
 nevensis, IO. ALPHONSVS TVRRETINVS (25) negat, de triplici illa cardina-
 li controversia, nobis cum REFORMATIS intercedente, nimirum de prædestina-
 tione, de communicatione idiomatum, ac de reali in S. synaxi CHRISTI, quoad hu-
 manam naturam præsentia, aliquid in ipsa Augustana Confessione definitum esse,
 eadem, nisi tandem omnia me fallunt, locum invenit mea observatio (ut taceam;
 articulo decimo A. C. manifeste contineri nostram, ad hunc usque diem a nobis
 sancte assertam de præsentia Christi hominis in S. cœna doctrinam. Voluere
 enim

(25.) In tr. III
 erforschung der
 Grund-Arti-
 cul des Glaub-
 ens, p. 46.

enim in illo articulo Confessores se liberare a suspitione, quasi cum illius temporis CALVINIANIS in momento de cœna S. eandem inflarent tibiam: nec dubium, quin clariores adhuc formulas loqvendi usurpassent, si hodiernorum REFORMATORVM molliores loqvutiones prœvidere potuissent. Certe, nisi menti Calviniana nimium repugnassent verba, ibi extantia, non opus duxisset PHILIPPVS MELANCHTON in *variata sua Confessione Augustana*, illa in gratiam Calvinianorum immutare.) Nempe de omnibus Symbolis, quotqvot unqvam in orthodoxis cœtibus fuerunt adornata, inter omnes constat, hanc eorum fuisse rationem, ut non omnia fundamentalia in ipsis expressa legantur dogmata, quidqvod tandem celeberr. CALIXTVS cum suis, ad corroborandum syncretismum, excipiat. V. g. in Symbolo Apostolico, Nicæno, Athanasiano, de fide salvifica (non generali illa) de bonis operibus, de attributis divinis, de S. cœna, & sic porro, vel nulla, vel plane non perspicue facta deprehenditur mentio. Scilicet pii eiusmodi Symbolorum. Auctores symbola sua saltem suæ ætatis suæque causæ conditioni accommodarunt. (futura enim, ipsis incognita, ab ipsis diiudicari non poterant.) Sic in Augustana Confessione is tantummodo scopus erat, ut dissensus ab ecclesia Romana aliisqve *indicaretur, quantum sufficiebat*: (****) postmodum vero in Apologia, Artic. Schmalkald. ac vel maxime in formula concordia scopus erat, ut ille dissensus vel ab ecclesia Romana sola, vel ab alijs cœtibus, potissimum a Novatorum inter ipsos Lutheranos colluvie *proximus plenarieqve exponeretur*. Inrerim, num, omnia, quæ fundamentalia sunt, in nostris Symbolis, coniundim sumtis, PERSPICVE SATIS asserta extent? iam supra meam dixi sententiam, eandemqve unicam confirmo instantia, quod nulla ibi deprehenditur determinatio, unde satis constare possit, quos Scripturæ libros pro *θεορνεύσις*, quos pro apocryphis agnoscamus (quæ una ex palmariis est inter nos ac ROMANENSES controversis) quod ex solo Spiritus S. interno testimonio, quavis verborum perspicuitate certiori, sufficenter addiscitur. Remanet ergo iam triplex ille character, supra memoratus, ex quo, quantum sint ex classe problematum theologiceorum, determinare licet. In his liber uni cuique esto consensus, ita tamen ne affirmatio vel negatio, in se libera, ex accidenti fiat peccaminosa, fidemqve evertat, si nimirum sit pertinax, atqve ex fide conscientaria non profluat, contra Rom. XIV. comma ultimum, utpote quod non de salvifica sed conscientaria fide præstantiores nostratium, cum libris symbolicis, p. 179. 208. interpretantur.

Hæc quum ita sese habeant, utilissime unusqvisque eorum, qui sanctissimam, ac perquam caute tractandam Theologiam in Academijs præsentent, colloca-
 ram suam industriamqve, si Auditores suos de immanti inter articulos fidei ac problemata theologica discrimine satis solideqve edoceat, ne supersticiosos mittat ex Academia in Academiam vel Ecclesiam Theologos. Cautione tamen infimul opus est & circumspectione, ut in omni controversia ostendatur, *quo sensu* nullum habeat

C

in

(****) Huc referenda sunt verba A. C. p. 20. *Hi abusus, quia non poterunt bona conscientia probari, ALIQVA EX PARTE correcti sunt.*

in fidei fundamentum influxum, & quo sensu, si sinistra verba accipiantur, fidem e-
 vertere queat. Deinde sedulo admoneantur discentes a Docentibus, ne inutilibus
 rixis se temere immisceant, sed explorantes omnia, id, quod bonum ac salutare est,
 retineant. Talem TE in docendo hactenus præbuiti, VENERANDE PFEIFFE-
 RE, cui laudem moderati juxta, ac Sancto adversus hæreses Zelo exarxi Theologi
 nemo a studio partium alienus, nemo, qui Tua in Academiam Ecclesiamque merita
 luculenta novit, Tibi denegare conabitur. Gratulor Tibi laudem illam, certissime
 persvasus, labores Tuos sacro-sanctos, in posterum quoque suscipiendos, eo dire-
 ctos fore, ut omnes, Tibi studiorum suorum curam committentes, in fidei articulis
 non Scepticos, in problematibus non superstitiosos, quantum in Te erit, efficias Ita,
 non aliter, omni tempore uteris ea, quam hodie auspicato adeptus es, LICENTIA
 Theologica. Vale, ac rem Tuam in Domino felicissime perage! Dabam Lipsiæ
 ex museo d. 19. Oct. A. O. R. MDCCXXIII.

TVVS

anni industria, omnique
 culus genere

ROMANVS Zeller.


08 A 6423


56

R

VDA

Hi. 75.





30

DE EO, QVOD IVSTVM EST CIRCA
DETERMINANDA PROBLEMATA
THEOLOGICA

AD

VENERABILEM THEOLOGVM,
IO. GOTTLLOB *Seiffen*,
THEOLOGI LICENTIATI
IVRA CAPESENTEM,

EPISTOLA

ROMANI *Zeller*,
THEOLOGIAE BACCALAVREI.

STANNO ZVNKELIANO.

